

ARTICVLI, ET POSITIONES

In causa Processus informatiui pro Beatifica-
tione, & Canonizatione serui Dei

P. IO. THOMÆ EVSTACHII

Congregationis Oratorij Neap.

Olim Episcopi Ciuitatis Larini.



NEAPOLI, Typis Iacobi Gaffari. 1642.


Cum facultate Superiorum.

17825

ARTIFICIALE

ET POSIDNES

IN CIVITATIBUS ET PROVINCIIS
MURARIA SANCTI



P. IO. THOMÆ ESTACCHI

Congregatiōis Oraclorū Nesci

Officii Episcopi Clericis Insti



NEAPOLIT. Tabis Iscopij / S. Maria de

Carissimis Subiectis

Pro verificatione Excellentis fidei, sanctitatis, & exemplaris vita, atq; insignium virtutum, & actionum serui Dei Patris Ioann s Thomae Eustachij Sacerdotis Congregationis Oratorij Neap. olim Episcopi Ciuitatis Larini, nec non gratiarum, & miraculorum eius intercesione à Deo Optimo Maximo patratorum. Procurator eiusdem Congregationis Oratorij, nomine, & pro parte dictæ Congregationis dat, exhibet, & producit articulos infra scriptos ad omnem bonum finem, etiam ad effectum Beatificationis, & Canonizationis a Sancta Sede Apostolica oportuno tempore obtinendæ cum solitis, & requisitis petitionibus, ad quos probandos in Curia Archiepiscopalii Neapolitana, & Episcopali Larinæ in Episcopali Ciuitatis Troiæ, vel alia quacumque competenti, prout opus fuerit, testes examinari, & alia necessaria facere admitti perit, & instat, nō se adstringens ad aliquā superfluā probationē, de quo protestatur isto, & omni alio meliori modo, & via de iure, &c. salvo, &c. Petrit insuper, & instat in hoc processu inseri exemplari, & transcribi omnes, & singulas scripturas tam priuatas, quām publicas, processus, testimoniū depositiones, & quęcumq; conducent ad probandam Sanctitatem dicti serui Dei Patris Ioannis Thomæ, quantum tamen pro se, & in partibus sibi favorabilibus faciunt, & non aliter nec alio modo, de quo expresse protestatur, &c.

In primis Procurator predictus ponit, & probare intendit, quod à decem, quinquaginta, & centum, & ultra annis, & à tanto tempore cuius initij memoria hominum nō existit, in Regno Neapolitano, & in Provincia fuit, & adhuc est honestis, pijs, Catholicis, & Religiosis habitatoribus reserta, & in ea semper viguit, & viger Fides Catholica, & obedientia erga Sanctam Romanam Ecclesiam, eiusq; Summum Pontificem, & dicta eius homines ab omnibus pro talibus communiter, semper habiti, tenti, & reputati fuerunt, & habentur, tenentur, & reputantur, & de omnibus fuit, erat, & est publica vox, & fama.

Item ponit, & probare intendit, qualiter seruus Dei P. Ioannes Thomas Eustachius ortus est in dicta anno 1575. ex Catholicis, & nobilibus parentibus Joan. Martino Eustachio, & Sulpitia de Tutijs, legitimo inter se matrimonio coniunctis, & in Ecclesia Baptizatus fuit, & Ioannis Thomæ nomen accepit, & suo tempore fuit confirmatus, & hoc fuit, & est verum, publicum, notorium, & manifestum, publica vox, & fama, & communis opinio, & reputatio.

Item ponit, & probare intēdit, quod dictus seruus Dei Ioannes Thomas à parentibus optimè educatus, non obscura dedit futura Sanctitatis indicia, levitates pueriles abhorrens, & pluribus virtutibus ornatus, mundum relinquens, fuit clericali militiae adscriptus, & hoc fuit, & est verum, &c.

Item ponit, &c. quod dictus seruus Dei annum agens decimum septimum, anno Domini 1592. die octaua Septembri, & die Nativitatis B. Mariæ Virginis præcipuo festo nostræ Congregationis, ingressus est

Congregationem Oratori Neapolitani. *Hec omnia vera sunt publica; notoria publica vox & fama.*

D E V I R T V T I B V S.

Item ponit, &c. quod sexaginta sex circiter annos, hoc est ab ineunte aetate, usq; ad extreum vitæ diem sanctissime vixit, & virtutum omnium splendore mirabiliter enituit, & hoc fuit, & est verum, &c.

D E F I D E.

Item ponit, &c. quod seruus Dei Ioannes Thomas virtutem fidei in excellenti gradu habuit, ut ex eius vitæ decursu varijs emissis actionibus constant, eamq; dum vixit retinuit, ac in illa usq; ad finem perseverauit.

Res fidei optimè calluit, fuit enim non solum Doctissimus Theologæ professus, sed etiam sacrarum litterarum eruditissimus.

Ad Episcopalem dignitatem renuens à Summo Pontifice Paulo V. assumptus in Synodis Diocestanis ab ipso celebratis, illud apprimè curauit, ut fidem, quam Romana profitetur Ecclesia diligenter docerentur fideles omnes, ut contraria vitia heresum, sortilegiorum, & superstitionum extirparentur, & aduersus violatores constitutæ pœnæ Canonicae sine personarum distinctione exercearentur.

Episcopale munus exercens, pueros Christianam doctrinam edocebat etiam in publicis plateis eos instruens in rebus fidei, vnde ad quoddam suę dięcesis oppidum perueniens, populus dum spectabat brauium currentes, ipse illie congerens seorsum puerorum multititudinem, doctrinam Christianam docebat.

Tanto in honore Sanctorum Reliquias habebat, ut quasdam auro, & argento exornare, ac in suo collocare sacello, voluerit eorum memoriam, in horis Canonicas peragere, dieq; festo eorumdem adueniente Missam celebrare, suos orans familiares, ut si Sacras haberent Reliquias, decenti, ac perornato loco eas colerent.

Maximo honore Christi Vicarium prosequebatur, excipiens, ac laudans mandata cuncta, quæ ab eo proueniebant, & cum Breuiarium Vrbani VIII. exiuit, statim enim iussit, cupiens suos illud recitasse.

Ex meditatione Dei Bonitatis, qua fuit impulsus genus redimere humanum dum semetipsum exinanivit, apprehendit excellentiam nostrę fidei, quæ tam profundè de Deo sentit, & extra conditionem humanam conceptum exprimit.

In Missa post Communione sentiens esse firmam sacratissimam Hostiam in medio gutturis, eundem oravit Christum, ut transiens decerneret locum, ac sanctificaret, ubi martyrium assequendus erat, vti S. Catharina, cuius festum erat, & in die decollationis S. Ioannis Baptistæ coram eius sanguine cum lacrymis oravit, ut dignus esset decollari saltem spiritualiter, ita vt omnis eius aestimatio in terram caderet, paratus ad illusiones patiendas. *Hec omnia vera sunt, publica, notoria, publica vox, & fama.*

DE

D E S P E.

I Tem ponit, &c. quod hanc virtutem mirabiliter habuit, eius enim intuitu firmiter creditur se bene operando cœlestem gloriam asse-
quuturum.

Hinc mundum, & dignitates parvificiens, virtute ipsa tantummodo in nixus, resignauit in manibus eiusdem Pontificis à quo inuitus accepit Ecclesiam Latinensem, & regressus fuit in eamdem suam Congregationem Oratorij, & postmodum etiam habitum Episcopalem dimisit.

Tanta erat Ioannis Thomæ in Deo fiducia, ut in itinere, rerum temporium oblitus aliud non curabat, nisi ut Missam posset celebrare, qua propter Sacerdotiales vestes ferebat semper, contentus pane, & aqua, & aliquo frugi; & si datae ei essent litteræ commendatitiae suppribat, ut ex prouidentia Diuina totaliter penderet; gestiebat aliquem audire euentum, ex quo Diuina emicaret prouidentia; saepius enim dicere solitus erat: O Diuina prouidentia! Maritimo delectabatur itinere etiam fluctuoso, cum in hac occasione ei videretur posse spei tantummodo Diuina inniti, unde ei accidit procellosum sedare mare, imperio, vocis, dicens socio pertimescenti: Modica fidei quare dubitasti? *Hec omnia vera sunt publica notoria, publica vox, & fama.*

D E D O N O T I M O R I S.

I Tem ponit, &c. quod cum hac firmissima in Deum spe, donum timoris coniunctum habuit, nam usque ad extremam senectutem, cum timore, & tremore suam operabatur salutem.

Cum se verberaret, dum versicolum recitabat: Ne projicias me à facie tua, intrinsecus apprehendit huius projectionis periculum, & lacrimis, maximoque timore Deum oravit, ne de relictum à se eiceret.

Internis inspirationibus obtemperabat, timens ne Diuino Lumen recalcitraret.

Dum tonabat, eo fulmina timebat, quo magis agnoscebat instrumenta fuisse Diuinæ iræ, unde ut diuinæ subiaceret iustitia sibi met significabat fulmen in suum decidisse caput, & ideo maxima quiescebat pace.

Deum orabat ne de eo ciudeles sumeret poenas eum derelinquens, sed potius qualibet poena eum affligeret, & dum anima a peccato libera esset, corpus à dæmone obsideri contentus erat.

Videns se scelum in Congregatione Oratorij esse Episcopum, eosque plus alijs recepisse, timebat ne in postremo vitæ ei dictum esset: Recepisti mercedem tuam: quapropter curabat dignitatib[us] oppone libertatis priuationem, clausuræ incommoda, penitus recusans omnes consolations. *Hac omnia vera sunt publica notoria, publica vox, & fama.*

D E C H A R I T A T E E R G A D E V M.

I Tem ponit, &c. quod maximam habuit Charitatem erga Deum, quia ipsum ob suam infinitam bonitatem semper toto corde dilexit: ita ut semper nihil aliud quereret, nisi ipsius Dei gloriam, & honorem, & sui ipsius contemptum.

Multa scripsit carmina, quibus exalabat diuini amoris flammam vren-

tem suo in corde, & ut solitus erat ea canere, ita ut alij canerent curabat præcipue tyrones animi causa.

Martyrij palmarum exoptauit, petens a Deo, ut ad eius gloriam sanguinem fundere posset.

Sustulit per multos annos ardentissimam sitim, non modo, ut Christum imitaretur Crucifixum, eamdem sitim in Cruce passum, sed etiam, ut Deo fruitorus desiderium in semet adaugeret, unde super eius tabulam cedulam appendi voluit, in qua scriptum erat: Satiabor cum apparuerit gloria tua.

Tria genera paupertatum Christi, Ioannes Thomas imitatus est, scilicet in siti, in obscuratione solis, & libertate ambulandi, ex fixura clavorum.

Vt iamans rei amatæ absentiam non patitur, sic ipse in Christum Crucifixum conuersus, è domo egrediens secum cerebat Crucifixum argenteum absque Cruce.

Eius cor tot in partes fuisse diuisum desiderabat, quot in orbe sunt homines, ut omnes illum sentirent dolorem ex Dei offensa, quem ipse sentiebat, Hac omnia vera sunt publica, notoria, publica vox, & fama.

DE CHARITATE ERGA PROXIMVM.

ITem ponit, &c. quod ardentissimam habuit charitatem erga proximum.

Nullum enim prætermisit modum, quo proximis auxiliaretur prius in anima continuas pro eis fundens preces, offerens in singulas noctes per plures horas eorum corda Beate Virginis cœlicia, ferreasq; catenas ferens, crudeles agens penitentias pro ipsis, se potu priuans, ac cibo, frugibusq; amaritudinem, doloresq; parturientis sentiebat donec formaretur Christus in ipsis, integras noctes euigilans pro ipsis lacrymas fundens; & desistens pro quodam orare, licet per breve tempus, statim cecidit in peccatum, eodem proximi amore impulsus, habere nequibat nec locum, nec tempus statutum, auxiliandi causa proximis, hoc medio multas lucrificiens animas Deo, multos a scrupulis, ac tentati onibus obfessos liberauit, & dux ipse multos nostræ Congregationis ad perfectionis iter direxit.

Continuò sermones habebat, & diu duos habuit in hebdomada, maximo auditorio fructu. Vouit iubenti nunquam denegare sermoninari. Cum Yeshuui Mons flammæ erupit, per singulas noctes in templo pernoctauit ante Sacratissimum Eucharistie Sacramentum, orans; & orare faciens populum numerosum, deuotissimos ipsi præbens affectus, & orationes iaculatorias. Creatus Episcopus, pluries totam visitauit Diæcesim, omnia administrans Sacraenta, consecratis Altaria, & nonnumquam septem habens sermones in die, Seminarium erexit, Sacraenta penitentiae omnibus administrabat etiam post labores, & Episcopales functiones; unde audita generali confessione cuiusdam mulieris die Portiuncula, statim hæc vita decessit.

Auxiliabatur quoque proximis in temporalibus indigentij, præbens elemosynas magnas, multos educans suis impensis, & quidquid quasi

Possidebat, in eleemosynam dabant; tenui vestitu contentus erat, ut faceret eleemosynas, præter nummos distribuens pauperibus vesteſ, strigula, ac bellaria.

Nemo fuit qui petens eleemosynam abeo, non recipere, executioni mandans quod scriptum dereliquit; Omni petenti te; da. **Hac omnia vera sunt, publica, notoria, publica vox, & fama.**

D E P R V D E N T I A.

I Tem ponit, &c. quod in hac virtute magnopere fulxit. Qui eum consulebant, eius sententia obtemperantes recte ambulabant, qui è contra, malè. Et quidam, qui absque eius consilio, Religionem ingressus fuit, nequaquam in ea moratus, est. Hac maxima prudētia, omnia exercevit munera nostræ Congregationis, fuit Tyronum magistri Deputatus, Præpositus, licet inuité; multi eum conueniebant non modo Neapolitani, sed aduenæ, vt ipsum consularent; quare cum è Roma Neapolim peruenisset vir quidam egregius, & data esset occasio cum eo tractandi, dixit: Romæ non fuisse hominem adeo illuminatum in rebus spiritus; & ideo Cardinalis Bellarminus, admirandam eius cognoscens prudentiam, non assentiebat dignitate Episcopali cœspoliast. Dum esset Episcopus, suam instruxit familiam instar nostræ Congregationis; instituit Congregaciones conferentiarum, casuumq; conscientiæ; in qua Canonicos, & Presbyterios eius Ecclesiæ interuenire volebat, & die veneris congregari ad disciplinæ deuotionem, ad quam, & seculares alliciebat, & dum homines se verberabant, mulieres in Ecclesia septem Altaria venerabantur cum Indulgencia S. Caroli, ad hæc omnia ipse interueniebat, prius Sermonem de Christi passione habens.

Vt abusus Diœcesis aboleret, & ad Deum gregem sibi commissum, conuerteret mira inuenit, **Hac omnia vera sunt, publica, notoria, publica vox, & fama.**

D E I V S T I T I A.

I Tem ponit, &c. quod in gradu insigni habuit virtutem iustitiae, nam tribuit ynicuiq; quod suum erat, Deum, & proximum summopere ailexit, Dei mandata custodiuit, consilia euangelica amplectens.

Adeo excelluit in iustitiae virtute, vt regens nostram Congregationem munere Præpositi, & ubi opus erat non respexit carnem, & sanguineum; semper agens quod ei rectum videbatur, licet hoc esset contra amicos, & consanguineos.

Quod rectum non iudicabat, maxima corrigebat libertate, & quem publicè pedeasset, publicè emendabat, cupiens quempiam in suo muncere obseruantem Congregationis constitutiones.

Eflagitatus à præcipuis mulieribus, acide Congregatione benemeritis, vt cuidam eius confidenti imponeret velle suscipere munus, cuidam monasterio administrandi Sacramentum patitentia, ipsis denegauit, quia non expedire existimabat, significans, ne amplius de hac re ei verbū facerent.

Dum iuuenis esset adeo ardebat zelo iustitia, vt superiores mutiera

Dura

A 4

ei

et tribuerent non amplius domi exercita, ut obseruantia spiritus nostre Congregationis firma esset.

Cum nostrae cuiusdam Domus erectionem quantum potuit, adiuuisse, & cum multos ad incolendam misisset, & ipse quoque habitasset multa patiens, vadens, & veniens ad sermocinandum, & ad sacras audiendas confessiones, multa centena nummorum ad perficiendum, & fabricam, & alia necessaria impendisset; atamen cum expediens iudicavit eam à nostrorum dominio auferre, & alijs concedere Religiosis, Forti animo induxit, licet Prepositus, sius esset amicissimus, & illi domui adhærens. *Hec omnia vera sunt publica, notoria, publica vox, & fama.*

DE VIGILANTIA PASTORALI, ET ZELO ECCLESIASTICÆ

Iurisdictionis.

I Tem ponit, &c. quod statim, ac ad residentiam Larinensis Ecclesiarum peruenit anno Domini 1612. Vigilantia, Prudentia, Doctrina, quidquid ad Christianæ fidei acumen pertinebat, omni conamine ad effectum perducere deliberauit. Imò ante eius aduentum Epistolam Pastoralém, valde vtilem, ad suam diœcesim, transmisit.

Seminarium, iam à multis retrò annis derelictum ad pristinum, reduci curauit, in quo suæ Diœcesis pueri non solum litteris decorarentur, verum etiam in diuinorum preceptorum obseruatione educarentur.

Honores, & Pompas, & si humiliis erat, tamen si ad Ecclesiasticæ dignitatis decus pertinebant, non solum non esfugiebat, verum etiam augere desiderabat.

Omnis suos familiares rectam, ac quasi religiosam vitam ducere studuit omnes insimul usq; ad Vicarium comedere, ac spiritualem lectio- nem in mensa recitari volebat.

Diœcesim sèpè sèpius visitabat, & in singulis terris eiusdem dum perueniebat ad Ecclesias Parochiales recto tramite se conferebat, in qua Populus statim se congregabat, ibiq; exhibitis ceremonijs iuxta Pontificale, sermonem ad Populum habebat, missam celebrabat, sacramentales cōfessiones audiebat, & Sanctissimum Eucharistię Sacramentum administrabat, cum vniuersali omnium consolatione, edificatione, & vt Pastor eximię sanctitatis ab omnibus venerabatur.

Et si nullus honor, nullauè dignitas eum in superbiam adducebat, Ecclesiasticam tamen dignitatem, seueritate, clementia, & assabilitate, prout quèquè res expostulabat tuebatur.

Dum visitaret Diœcesim, Archipresbyter, penè quem morabatur, consanguineis suis, occasione nuptiarum, temerè choreas ab ipso interdictas ducere suadebat, illius prohibitionem veluti irridens; cuius impiudentia indignatus seruus Dei, domum deserit, & licet estiuo tempore, visitationem prosequi statuit. Quare incidit in stomachi debilitatem, qua semper cruciatus fuit, occupauit febris, & coactus fuit iacere in lectum, sed post sex dies è lecto surgens celebranda causa Missæ, licet imbecillitate vix ad altare stare posset, Consecrata hostia, statim fanus factus est, prosecutusq; est visitare.

Dum

Dum visitaret à febril aggressus, ad quoddam oppidum peruenitus cogitabat se in lectulo sternere; sed cum esset dies festus, & ad eius aduentum maximus populus congregaretur, retinere se nequivit, quin ultra eius vires sermonem haberet maximo spiritu, ac ardore, post quem statim sanus omnino redditus fuit. *Hac omnia vera sunt, publica, notoria, publica vox, & fama.*

DE RELIGIONE, EIVSQUE ACTIBVS, DEVOTIONE, Oratione, & Sacrificio.

Tem ponit, &c. quod in eminenti gradu habuit virtutem Religio- nis, qua D. O. M. tanquam omnium opifici, & humanæ salutis redemptori debitum cultum, & honorem exhibuit, omnesq; actiones ad Dei cultum pertinentes semper, & indefessè exercuit, horas Canonicas magna cum deuotione recitabat, Missæ Sacrifictum semper magna cum reverentia, etiam iterfaciens singulis diebus offerebat.

Pontificalia, & Ecclesiasticas ceremonias mira cum grauitate, & deuotione exercebat; ferè stans, & capite detecto recitabat horas Canonicas verba clare, & distinctè pronuncians. In cellula, & castra dum officium recitabat, in manibus Crucifixum habebat, & sèpè in lacrymas erumperbat, singulare faciebat examen, & quamcumque distractio nem in diuino officio commissam scribebat, & hanc dicebat orationem: *Pone Domine cor meum, ut scabellum pedum tuorum, & eodem clavo, quo illi confixi sunt, ipsum configere, ut semper tecum sit, & auolare non possit;* ferè illud recitabat ad horas præcisas, & interdum sextam recitabat bracchijs extensis ad modum Crucis; maxima cum humilitate recitabat Gloria Patri; & quoties hanc venerationem prætermittebat, signabat.

Adeò venerabatur sacram Scripturam; quod non solum in ea lectio ne continuò versabatur, & meditabatur, sed cum in Refectorio legeretur, reverentiæ causa, à cibo se abstinebat.

Adeò præparatus Missam celebrabat, ut nihil aliud mane efficere videbatur. Sæpe celebrabat maxima lacrymarum copia, iterfaciens, numquam loquebatur priusquam Missam celebrasset.

Vt decentius Missam celebraret, præcipue in itinere, pulchros sibi emit apparatus cum omnibus rebus necessarijs ad istud sacrosanctum Sacrifictum; imò cùm Missam quodam celebrasset absque decenti appatu, voulit nequaquam iter facturum, nisi prius paramenta construxisset, cibi, ac vestitus obliuisceretur, omni re contentus, diuinæ se committens prouidentia; at cùm ad Altare introibat, Pontifex videbatur, maxima omnium admiratione desertis in locis tantam esse maiestatem.

Episcopus, & senex Missæ sèpius inferuiebat, in quo munere maximum reperiebat deuotionem cum effusione lacrymarum.

Eius vita fuit continuò orare, diem totum orationi dabant, nec hoc contentus, nocte post primum somnum, per tres horas orationem pro tendebat, orationem quietis habuit, orans, dulciter plorabat, oblecta menta, ac sensus diuinos habuit non vulgares. Tanta fiducia orabat, vt quidquid vellet, à Deo impetrare videbatur, vt reuera obtinebat.

Multa scripsit opuscula; præter sermones, & laudes spirituales, quæ clarè testantur eius eximiam deuotionem, ac eleuatissimam orationem.

Piissimus erat erga Christi passionem, & lacrymis eam meditabatur, & de ea multa scripsit, secum semper ferens Crucifixum argenteum, sæpius eum deosculans.

Intensissima venerabatur deuotione Beatissimā Virginem vti à multis periculis liberatus, & multa assecutus beneficia, vti ipsomet testatur in quadam Epistola ad B. Virginem scribens.

Composuit librum Ecclesiarum, Imaginum, ac titulorum B. Virginis, & alium composuit de obseruantia, imitatione, & inuocatione eiusdem. Multas etiam laudes spirituales. Ave Maria Coronam duodecim Stelliarum, aliasq; pulcherrimas salutationes B. Virginis composuit, de ea loquebatur, de ea cogitabat nocte, ac die, orationes cunctas ad eam dirigebat, Virginem orans, ac ei offerens suum, ac suorum corda, Desuper ferebat deuotissimam statuunculam B. Mariæ, eam effetens in fine officij, ac venerantè osculans; duo facella in honorem Virginis construxit vnum suæ cellulæ proximum, aliud extra muros Neapolis in loco nostræ Congregationis, sub inuocatione S. Mariæ de Perseuerantia.

Multas distribuebat eleemosynas, ac plures patiebatur abstinentias ad honorem Virginis.

Cùm Episcopatus dignitatem dimisit anulum ferebat argenteum tribus illis litteris I. M. I. significantibus IESVS MARIA IOSEPH. Ablato eius sigillo, eundem anulum adhibebat, argenteum collare sibi instruxit cum lamina instar cordis cum hisce verbis: Totus MARIA sum, totum me ipsi committo; & diuturno tempore collo appensum sustulit.

Cùm orasset à nona usque ad duodecimam horam mensē Ianuario, quodam sopore corruptus, multititudinem Angelorum vidit Imaginem B. Virginis iucundantem, pulsantemq; musica instrumenta, & ipse deosculans manum Angelo, admirabilem sentiit fragrantiam castitatis.

Erga Sanctos deuotissimus fuit, quorum gesta narrare solitus erat populo, scripsit quoque eorum mores, ac gesta diuidens in duodecim tomusculos, præter duos tomos de vita, & virtutibus Sanctorum Patrum eremii; magna quoque deuotione veneratus est: S. Joseph septies in die eum salutans iuxta septem horas Canonicas, omnia ad honorem agens IESVS MARIA IOSEPH, vti eleemosynam dabant, ac abstinentias agebat ad eius honorem: idem faciebat ad honorem S. Joachimi, & S. Anna, tres distribuēs carolenos in hebdomada, duos ad honorem S. Joachimi, aliud S. Anna; & maximè cupiens, ut utriusque officium celebaretur, à Deo oratione impetravit. Desiderauit quoque mori die Martis, quia legit S. Anna eo diem mortuam fuisse, & obtinuit. Fuit quoque maximè deuotus S. Mariæ Magdalena, & vti ad honorem huius, sic aliarum sanctorum pulcherrima composuit cantica spiritualia, quorum liber extat. *Hec omnia vera sunt publica notoria, publica vox, & fama.*

I Tem ponit, &c. quod excelluit in virtute obedientiae, etenim parentibus obtemperauit, ac debitum prestiti obsequium.

In

In Congregatione Oratotij, dum vixit mandata Superiorum, illorumq; voluntatem ad lvguem seruauit, regulas, & constitutiones seruauit, ac etiam Episcopus creatus suo Confessario obtemperabat, &c.

Vouit suo Confessario obtemperare, & cum à Paulo V. ad dignitatem Episcopalem suscipiendam cogeretur: dixit, voulisse nequaquam dignitates suscipere absque consensu sui Patis spiritualis, cui Pontifex respondit: nos qui pater sumus omnium patrum spiritualium, in hoc tibi commutamus votum, ut Episcopatum suscias.

Dum in Congregatione moraretur, singularem præstit obedienciam non solum Præposito, sed etiam inferioribus; vilissima quæque ciuinicta, hilari animo peragens.

In iis quoque votum obtemperandi sermonum Præfecto, ut sermones haberet semper quando sibi imponeretur, etiam inopinatè qualibet die; obtemperabat quoq; nostris laicis, ac alijs sibi inservientibus, etiam dum erat in habitu Episcopali. *Hac omnia vera sunt, publica, notoria, publica vox, & fama.*

D E I G R A T I T V D I N E.

I Tem ponit, &c. quod habuit virtutem gratitudinis, Deo semper gratias agens, tam de his quæ sibi prosperè, quam quæ sinistre euenerant, pro benefactoribus numquam orare desistebat, illis quantum poterat benefaciebat.

Congregationem ingressus, post mensem deuotum composuit canticum benedictionum pro gratiarum actione suæ vocationis. Post triennium genuflexus in medio Patrum, ut gratias ageret, in ubertimas erupit lacrymas.

Septies in die gratias agebat Virgini pro acceptis, & accipiendis beneficijs; multa composuit soluto, ac ligato sermone in lingua vernalculam, & latinam plena gratiarum actionibus Deo, Virgini, ac sanctis.

Gratum ostendit animum conferentibus sibi, licet leue beneficium, nomina eorum scribens præcipue pro ipsis orans, & in quo valebat retribuens; attamen id verbis non significabat, non modo ut mortificationem sustineret, sed quia inimicus erat adulacionis, & cæmoniarum.

Hac omnia vera sunt, publica, notoria, publica vox, & fama.

D E TEMPERANTIA, ET ABSTINENTIA

I Tem ponit, &c. quod virtute temperantiae, & abstinentiae insignis fuit.

Cum esset Episcopus, ieiunare voulit pane, & aqua die Mercurij, & Sabbathi; edere carnes noluit, & quando edebat, fugiendi causa singularitatem, duos, aut tres bolos tantum sumebat acerarium, comedebat absque ullo condimento, & si condiebat, cum aceto tantum, noluit casuum edere, nec fruges, vötum iniens, nec vias, nec fucus, nec pepones gustandi, de quibus maximè delectabatur. Bellaria, ipsi sæpius donata ad voulit minime gustare, sed pauperibus distribuere; eius erat desiderium ducendi vitam eremiticam, viuendiq; de heibis, nisi in Congregatione fuisset; denegans quoque sibi pisces, oura, ac laetitia in ea concedere, ita ut eius mensa, acerba videretur, abstinentia.

Ad-

Amabat res comestibiles parui p̄t̄ij v̄i proprias pauperum, ponere
saccarum, vt quid paupertati cōtrarium in quibusdam liquoribus quos
sumere necesse erat, se abstinebat. Hęc omnia vera sunt, publica, no-
toria, publica vox, & fama, istud co or. onod ni s̄p̄ m̄d̄l̄l̄ n̄m̄b̄it

DE MVNDI CONTEMPTV, ET HV MILITATE.

I Tem ponit, &c. quod seruus Dei profundissima humilitate clauit.
Dignitates non accipere voulit, nisi Confessarius iuberet; ire Ro-
mam timebat, ne ad dignitates promoueretur; cum ei renunciatus es-
set Episcopum fuisse designatum, fugit, se abdidit, ac coactus compare-
re coram Pontificis nepote Cardinali Burghesio, rustice se gessit, & co-
ram Pontifice ductus, quantum potuit repugnauit, ita vt Pontifex com-
pelleret ad suscipiendam Ecclesiam Latinensem.

Vix quattor annis pr̄teritis, tantum se adhibuit quod Episcopatum
renunciauit, vt in sua Congregatione priuata viueret; & cūm hoc eue-
nit, signa dedit maximę latitiae, varijs varia donans familiatibus suis;
Neapolim eius arnulum mittens, vt digitus statuē D. Philippi ornare-
tur; neque hoc contentus, post multos annos Pontificis licentia etiam
Episcopales vestes dereliquit, votum iniens faciendi eleemosynas ad
hanc gratiam obtinendam; voulit etiam nullam pr̄termintere diligen-
tiam assequendi causa desiderium: Admirata fuit Romana Curia Epi-
scopum Romam iuisse ad Episcopalem dignitatem cum habitu depo-
nendam. Missam celebrans pro gratiarum actione pro Episcopibus
vestibus deiecit in facello S. Philippi, à tanta lacrymanū copia aggressus
fuit, vt vix Missam perficere potuerit, etiam à Cardinalis dignitate se
alienissimum ostendit, & conscius Pontificem eum velle Cardinalem
creare, adeò rusticè se gessit, vt Pontifex maximus voluntatem commu-
nauerit.

Humilis inter nos viuebat, & animaduertebs Patres eum assumere,
velle ad Pr̄posituram, licet prius renunciasset passiuæ voci ne officijs
subiaceret, omnem adhibuit conatum, & domi, & Romæ, vt huiusmo-
di promotioni obstareret, sed frustra: & eleitus, remansit, vt mortuus, &
multoties dimittere conatus est, immo quōdam fugiens, vbi esset, igno-
rabatur.

Cum pulcherrimum Romæ vidisset ad fidicium, domum regressus si-
bilegi iussit mysterium Ascensionis Iesu Christi, cuius festi tunc erat
vigilia, illam audiens lectionem, magna compunctione, & cordis affec-
tu lacrymatus est pro contemptu omnium rerum temporalium, ac
pro desiderio cœlestium,

Ab honoribus abhorribat, & palam videri, functionesque Pontifi-
cales administrare fugiebat.

Congregationem ingressus in villa, ac maximi contemptus se exer-
cuit, vri eleemosynam petere ante fores majoris Ecclesie, exire quā
breui, ac lacera veste usquequo Sacerdos ordinatus fuit, cibum dare
porcis, & gallinis, in hoc munere subiacens cuidam laico domus.

Pro nihilo se habebat, se ad omnia inutilem, & pr̄cipue ad alios re-
gendos, in quo erat aptissimus, ineptum se existimabat, se obtulit Con-
gre-

gregationi inseruire in humili statu laicorum. Se asinum appellabat,
dicens: Virginem vti opera sua, velut asini ad se trahentis camelos, fi-
lios scilicet suos spirituales, virructibus onustos, in hoc alludeas ad hi-
storian asini S. Zosimi.

Fatebatur numquam Deo inseruisse in omnibus eius vite annis, ac
solitus erat sibi met tribuere culpas, & aliorum defectus.

Duabus è vita discedentibus mulieribus dixit, vt spem haberent
ascendendi in cœlum, & eum ibi expeſtarent, & statim pœnituit hoc
dixisse, se adeò imperfectum cognoscens, & haç de causa fortiter se cinc-
xit ferreo cingulo, fortiori animo se abstinentiæ, & vigilantiæ conce-
dens. Hæc omnia vera sunt publica, notoria, publica vox, & fama.

D E S T V D I O S I T A T E.

I Tem ponit, &c. quod habuit virtutem studiositatis.

Claruit in Philosophia, ac Theologia studijs, ætate vigintiduorum
annorum magister fuit, post triennium in Congregatione, & usque
ad ultimum senectutem recentem detinuit memoriam, vti prompta, &
adæquata responsa data dubijs ostendebant imparatè propositis, & in
qualibet materia, hoc quoque testantur tot manuseripta.

Subdiaconus consecratus, sermones habere in Ecclesia cœpit maxi-
mo audientium fructu.

In Episcopali examine de improviso tam doctè se gessit, vt examina-
tores admirati sint, & cum grata essent Pontifici eius responsa, examen
protraxit, & dixit oportere esse multos huiusmodi Episcopos in Dei
Ecclesia.

In Episcopatu inter suos presbyteros introduxit conferentiam ca-
sum conscientiarum, in qua interueniebat.

Numquam in cella otiori visus est, semper vel orabat, vel studebat,
vel scribebat. Hæc omnia vera sunt, publica, notoria, publica vox, &
fama.

D E P O E N I T E N T I A E T AV S T E R I T A T E V I T A E.

I Tem ponit, &c. quod teruus Dei poenitentia fuit insignis, carnem
enim suam, cilicijs, flagellis, vigilijs, ac ieunijs semper domuit.

Prater abstinentiam in potu, in cibo parcissimus fuit, vt supra dictum
est, ita vt in edendo martyrium pati videretur. Usque ad sanguinis ef-
fusionem se flagellabat; super nudam carnem cingulos ferebat stam-
neos, ac ferreos noctuq; diuq; & sepe cum aspersione sanguinis cilicia
sufferebat, quæ interdum terga fraceſſebant.

Quindecim menses, & dies sexdecim domi clausus permanſit, & usq;
ad ultimum diem permanſisset, nisi crura tumefacta essent.

Luce, & calore solis se quoq; priuabat, patiënti desiderio; & pro pra-
fixo tempore voulit.

Parum dormiebat, partem noctis orationi applicans; lectulum ſibi
construxit feretri instar.

Et de hoc non contemprus, ferè cum vestibus dormiebat, aut supra
ſedem, aut in ſtramento, aut in pradella eius ſacelli; aut humi.

Eius desiderium erat vitam eremiticam ducere, & talem duxit, qua-

lēm status Congregationis ei permisit; & semper nihil agere cī vide-
batur.

Lacrymas fundebat p̄r̄ desiderio transigendi vitam p̄senterem in
continuo luctu, nullas expectando consolationes, nec mundanas, nec
spirituales. Hęc omnia vera sunt, publica, notoria, publica vox, & fama.
D E D I V I N I S R E V E L A T I O N I B V S, E T
Dono Prophetiae.

I Tem ponit, &c. quod cū mense Ianuatio noctū iuxta suum soli-
tum orasset ab hora nona vsque ad duodecimam, paulo post dor-
miens sibi videre visa est Imago B. Virginis multitudine Angelorum
circundata instrumenta pulsantium, & matius Angeli deosculans, ad-
mirabilem castitatis odorem sensit.

In sancta domo Lauretana celebrans Missam pro illuminatione cor-
dis, verè illuminatus fuisse videtur, qā in Memōto Missæ maximē diut-
tino, nesciens quid tunc Romæ ageretur, corde p̄lagienti Deū oravit
intercedente Beata Virgine, vt Pontificis mentem, aliorumque coope-
rantium illuminaret, ne quid agerent, nisi suā saluti expediret, & tunc
verè cæptum est de eius Episcopatu loqui, & ad tale onus eodem die
Pontifex eum designauit.

E vita discedēs quidam Pater, qui sub sua vixerat disciplina ab eo vi-
sus fuit resplendentis facie velut Angelus, & eūm quoddam eius negoti-
tium magni ponderis maximam habens difficultatem, ageretur, idem
per somnium, ei apparuit, auxilium portagens ad foueam traiiciendam,
vnde negotium, optimum habuit exitum.

E vita item discedens quidam eius conciuis, & consanguineus, eodem
tempore, quo expirauit ostium suum pulsauit, ita vt ē somno eum
excitaret, statimq; animaduertit illum mortuum esse, vt verè accidit, &
mane Missam pro eo celebrauit.

Multos annos ante aquam nostrā Congregationi quædam infortu-
nia accidissent, & interitus p̄cipuorum Patrum: multoties ab eo cui-
dam Patri p̄diciēta fuerunt.

Quendam Patrem infirmum iam à medicis destitutum; Dominica
Palmarum conuenit, ei palmarum tulit, prænunciavitq; non moriturum.

In postrema Gregorij XV. infirmitate cum percontaretur à quodam
amicō quomodo se haberet Pontifex, excepit ab illo conualuisse aliquā-
tulum: immo omnino respondit ipse, & mox eodem mane Sacrificium
pro mortuo Pontifice Deo obtulit, & ita compertum est, vix eo absolu-
to obierat Pontifex.

Cardinalem tunc Masseum Barberinum cum inuiseret, post petitam
ab eo discedendi facultatem, dixit astantibus, hunc tere Pontificē, qui-
bus nimiam iuuentutem Cardinalis opponentibus iterum dixit in hāc
non remraturos Cardinales in electione.

Quidam Pater dicens seruo Dei quendam secum tractare maxima
confidētia, respondit, se breui mutaturum fuisse: & ille subiungens, hoc
quasi fieri non posse, vt ab eo se alienaret; denuò respondit, visurum
mutatum; & ita accidit, quia non solum confidentia reliquit, sed aperte
contrarium se ostendit.

Cuidam Excellentissimæ Dominae, quæ per multos annos filios habere nequibat, primò dixit, se habituram filium, eumq; Carolum vocaturam, quod, licet quasi impossibile videbatur, viuente adhuc eius foecero, tali nomine nuncupato; nihilominus ita euenit; nam paulò post occidente illo; peperit filium, quem Carolum nominauit.

Die octaua Septembris Natiuitatis B. MARIAE Virginis vidi in somnis Parvulum IESVM equitantem in equo albo, vestitum ueste latali alba, in cuius extremitate erat litteris aureis scriptum: Rex Regum, & Dominus Dominantium; cumq; de equo descendisset, in cubiculum suum ingressus est: tunc ipse genuflexus cum magna letitia eius pedes osculari volebat: at ipse declinavit, eumq; mensum reliquit. Tunc B. Virgo, quæ adesse visa est, illi compatiens, dixit: Ne dubites, ego illum contra te iratum placabo. Post aliquot annos, eadem die Natiuitatis B. MARIAE Virginis fatetur promissionem B. Virginis adimpleram fuisse. Cum in itinere esset quidam nostrorum Patrum eius amicus, maximum obiret periculum vita P. Ioan; Thomas tunc Neapoli commorans multis iussit Patribus orare pro dicto Patre, quo redeunte, comperit est illa eadem hora diuino auxilio indiguisse, quod scire non poterat, nisi diuina reuelatione.

Occultum cordis penetravit cuiusdam equitis eius paenitentis.

DE FAMA SANCTITATIS IN VITA.

Temponit, &c. quod dum in humanis ageret ab omnibus pro vitro suprascriptis virtutibus ornato, bono, sancto, pio, Religioso, & Dei amico habitus, tentus, & reputatus fuit.

Antequam Episcopus esset, dum in nostra Congregatione commorabatur, ab omnibus, ut sanctus habebatur, ad eum eantes, ut in rebus spiritualibus instruerentur, & orationis auxilio firmarentur, nec videbatur quisquam posse proficere absque eius instruptione.

Episcopus consecratus, ab omnibus eius dioecesis habitus est uti sanctus, & tanta erat omnium estimatio, quæ de eo habebant, ut quocunque ibat concurrerent, & nemo contradicere ei audebat.

Maximi fecit eum Cardinalis Bellarminus, & agretulit Episcopatum dereliquisse.

Virbanus VIII suis se commendabat orationibus.

Apud Eminentissimos Cardinales in maxima existimatione, ac veneratione fuit, ut etiam apud Principes, & complures alios.

Quædam Excellentissima Domina se ei genuflectebat ut coram sancto eius petebat benedictionem, res eius ut reliquias venerabatur, & varijs occasionibus vim suarum orationum experta est.

Neapoli vniuersaliter ab omnibus vir sanctus habitus est, Cardinalis Boncompagnus, Canonici, ac Barones, & præcipue Baronissæ, ac Religiosi variarum Religionum uti sanctum coluere inter quos vir quidam spectatae virtutis, qui fuit eleemosynarius Cardinalis Ludouisi, cum Neapoli cum seruo Dei tractasset, dixit: Romæ non adesse hominem magis illuminatum. Hæc omnia vera sunt, publica, notoria, publica vox, & fama.

DE

DE FOELICI OBITV SERVI DEI.

I Temponit, &c. quod cum seruus Dei omnibus virtutibus imbutus esset.

Adeò se lacerauit pœnitentijs, vigilijs, ieunijs, & continua mentis oc cupatione, vt mortem sibi properauerit, quia paulatim vites amitens magnopere vexabatur à distillatione, tussi, & hydropsi, & licet medicorum consilio aërem mutasset multoties, attamen in peius ibat, cùm Deum orasset, vt priusquam moreretur, aliqua graui infirmitate, cùm cruciasset: In hac sua infirmitate maximam ostendit sufferentiam non modo in ipsomet morbo, sed multis in alijs passim incommodis totum referens acceptum à Diuina Prouidentia; similiter laico inservienti ad vnguem obtumperauit, vt puer ab illo dependens. Interim cùm in nōstro esset prædio fœlicioris aëris, è cœlo fulgur cecidit comburefaciens arborem longiorem, sui obitus signum. Dum potuit quotidie Missam celebravir, & cuni imbecillitate nequibat, eam in sacello audiebat suo cubili proximo, sacram sumens Communionem.

Deniq; anno Domini 1641. diè prima Ianuarij festo sacrato Sanctissimæ Circuncisioni Domini nostri Iesu Christi hora circiter 17. dum in nostra Ecclesia Missa decantabatur. cùm paulò ante maxima lætitia canere audiuerisset quasdam laudes spirituales ab eomet compositas, ac illam recitare orationem ipsi tam familiarem; O Domina mea S. MARIA Perseuerantiae, me in tuam benedictâ fidem, & singularē custodiam. & in sinum misericordiæ tuæ, &c. annuens oculis, ac vultu ridenti, vti obdormiens spiritum Deo reddidit, maxima quiete, & tranquillitate die Martis, quo die mori desiderabat, vt in quadam laude spirituali ab eo præcedenti anno composita ostendit, non solùm quia eo die singulare acceperat à Deo beneficia, sed etiam quia dies fuit ortus, & occasus S. Annæ, erga quam deuotissimus erat. Hæc oinna vera sunt, publica notoria, publica vox, & fama.

DE FAMA SANCTITATIS POST MORTEM.

I Temponit, &c. quod audita morte serui Dei, tanta cucurrit innumerabilis multitudo in Ecclesiâ ad videndum, osculandum, & aliquid de eo accipiendo uti Sancti Reliquiam, vt Præpositus eius corpus in Sacristia transferri iusterit, & quia venerunt multi, & singulares viri; & mulieres, necesse fuit permittere Sacristiam introire.

Coronis corpus tangebant, pro Sacris Reliquijs res suas habebant, capillos recidebant, res cubilis petebant, & è Roma res eius postulatae fuere, vt reliquæ colerentur à maximis viris; omnia sua maxima deuotione, & reuerentia seruantur. Multæ eius effigies depictæ fuere, & multi se vti sancto Dei commendabant; & quidam eques Neapolitanus eius cadauer in arca cypressina collocari iussit serico intus ornata, & hæc intus aliam cassam castaneam laminis plumbeis bene intus accothodatis; & sic in sepultura communij Patrum fuit sepultum, licet multis annis antea sibi seruauerit quandam subiculum ex rudi tela confectam, quam intus dicebat velle alligari, & sepeliri.

Post

Post eius mortem omnes tum Romæ,tum Neapoli,tum in eius Diœcesi, qui de eo aut locuti sunt,aut scripserunt, sanctum vocauerunt.

Præterea nonnulli ex DD. Canonicis, & aliæ personæ spirituales nostros instittere Patres, ut de eius vita, & moribus processus formaretur, & Emenentissimus Cardinalis Boncopagnus hilari animo licentiam concessit; & Emenentissimus Cardinalis Philamarinus ostendit eum velle sequi libenti animo. Hæc omnia vera sunt, publica, notoria, publica vox, & fama.

D E M I R A C V L I S.

I Tem ponit, &c. quod Deus benedictus ad ostendendam sanctitatem serui sui Patris Ioannis Thomæ multa miracula fecit, & gratias tribuit fidelibus de quibus testes informati deponent:

Salerni sinum nauigans, maxima tempestate, dum alij tremebant à voragine obrui. ipse maxima viuebat tranquillitate, & quiete, in manibus habens suum Crucifixum argenteum, de quo alias locuti sumus, & mari conuersus, magno imperio dixit illa verba Salvatoris: Obmutesce: & statim facta est tranquillitas magna, siluere venti, emicuitq; Sol, qui antea pluias comminabatur, & conuersus ad socium flentem præ admiratione, & lætitia, dixit: Modicæ fidei quare dubitasti?

Vt maxime deuotus Passionis Salvatoris erigere voluit excelsam Crucem supra Montem, quem Caluarium vocavit, iuxta Ciuitatem Larinensem, & die præfixo, magno comitatu cum toto Clero, & Populo ipse metu suis humeri illam supra montem tulit, & per viam septies sermonem ad Populum habuit de itinere Christi Domini baiulantis sibi Crucem, instituendo stationes eiusdem itineris, & cum peruenisset ad montem dum Crucem erigere elaborabat, ecce densa nubes, quæ maximam minitabatur pluiam, & iam stillate cœperat, ita ut processio conturbaretur; sed statim ac Crux ereta fuit, pars superior quasi nubem scindens in duas partes, pluebat circum, intactum Caluarium permanxit, immo à Solis radijs illustratus per scissuram: nubis emicantibus.

Cum Romæ esset dum quædam Excellentissima Domina paritura erat, & à partus doloribus vexaretur, accersitus fuit, & cùm peperisset marem absq; vlla vitæ apparentia, & cum lacrymati essent omnes tanquam mortuum; post vnam horam P. Ioannes Thomas vocavit: Carole Maria: nomen inuocans IESVS MARIA JOSEPH; & statim infans signa dedit vitæ.

Cum cuidam Patri nostræ Congregationis tumor instar nucis in genu descendisset, timore ne posset genuflecti amplius, ad seruum Dei currit; qui respondit, ut antequam cubitum iret, pannum applicaret; obtemperauit ille, & mane genu detumefactum reperiit. Hæc omnia vera sunt, publica, notoria, publica vox, & fama.

F I N I S.

Post eius mortem omnes tam Romam, tum Neapolim, tum in eis D.
Ad maiorem commoditatem formandi Processum; possunt hi Arti-
culi, & Positiones imprimi, omnia subiijendo Sancte Sedis Apostoli-
ce iudicio, & determinationi. Neap. 18. Septembris 1642.

D. Io: Dominicus Aulisius Canonicus deput.

Imprimatur pro instructione Iudicium tantum.

Alexand. Russus Canon. Vic. Gener. Neap.